TENTAMEN MEDICUM DE *Medicastrorum Audacitate*

Autore ALEX. RUSSEL, M. D.

Theologastro nihil flebilius, Pragmatico nihil periculosius, Medicastro nihil exitialius.

Non omnes qui Citharam tenent sunt Citharædi.

De Medicastro Quidam

Tollere scit morbos, sed quomodo? Tollit & Ægros.

EDINBURGI,

Excudebat ROBERTUS FREEBAIRN
An. Dom. MDCCLX.

Nobliſſimo Potentiſſimo ac Celſiſſimo

Principi

Wriotheſleio

BEDFORDIÆ DUCI &c.

Illuſtriſſime Princeps,

TRactatulum hunc quantulumcunque Celſitudini veſtræ in obſervantiæ teſſeram, nec non in Libelluli ornatum.

Princeps Illuſtriſſime

D. D. C. Q.

Celſitudinis Veſtræ

Obſervantiſſimus

ALEX. RUSSEL.

400525

Lectori Benevolo

S.

AD Lucubratiunculas hasce scripto committendas Invitarunt tria.

Unum, ut Universis praxin Medicam tractantibus qui mentem ad *Medicinam rationalem* non appulerunt suos defectus, erroresque sibi aliisque monstrando, eorundem *audaciam* trucem cæcamque ad incitas redigam; *Pharmacum* namque (Autore peritissimo *Willisio*) *temere exhibitum nil aliud est quam alea de vita hominis jacta.*

Aliud

Aliud, ut Scientiam Medicinæ Theoreticam ad praxim tutam omnino neceſſariam eſſe mortalibus planiſſime oſtendam; & ut qui *ſciolis* ſanitatis negotium mandant *ſuicidii* reos peragam: Anne rationi conſentaneum eſt *Medicaſtrum* ſeu eum qui ſtudiis medicis operam non dedit, quique nec *conſilio*, neque methodi filo, aſt *caſu* impetuque cæco ducitur, Medico, ſive huic qui ſtudiis hiſce operam dedit, anteferre? Minime gentium. Ipſe tamen hiſce auribus non raro audiverim *Medicaſtros*, *Chirurgos* & *Pharmacopœos* (quorum quidam *diteſcentes inſoleſcunt*, quorum etiam *porterviam* ingens utpote Medico-

dicorum & *Medicinæ impedimentum* refrænari oportet) Doctrinam & Rationem quasi res affectatas apud ineruditos fronte ludificantes ferena, qui iisdem ita verba dederunt ut in eorum sententiam iverint: *Ignoti nulla Cupido, & insciti confidentiam parit.*

Tertium, ut eruditiores in viam introducam, qua Medicastrorum *temeritatem* damnosam reprimant, ægrisque pernicio-sum *errorem* eripiant;

——fungor vice cotis acutum
Reddere quæ ferrum valet, exors
ipsa secandi,

Sua cuique capiti subjungere *Theoremata*, hinc illinc excerp-

ta

ta operæpretium eſt mihi viſum.

Viam, quantum ego perſpicio, nondum tritam calco; unde nullus dubito quin irrepſerint *errata*, quocirca ut politius limet opuſculum hoc *lector* candidus multum obſecro: de quo argumento ſi quid ſermone vernaculo prolatum obtigerit, forte pluris habebitur, & humanis uſibus aptius evaſurum eſt: Et quantumvis, quod hic cupio, impar præſtando ſum, *in magnis tamen voluiſſe ſat eſt.*

Opprobriis obluctari ſtatutum eſt, & dum conviciis agitatum iri me præſentio *Zoilos* nauci facio, *Momis* ſatis facere nequeo, & cum *Scaligero*

Non

Non mihi ſed rationi, aut quæ
Ratio eſſe videtur.
Milito; ſecurus quid mordicus hic
tenet aut hic.

Ad aſſequendum hujus opellæ inſtitutum a cunctis laudatum, horas ſucciſivas mihi dum in vivis erogaturo ſuppetias ut feras vehementer quæſo, exempla Medicaſtrorum errantium proferendo, ut prodeat *editio altera* auctior, modo tanti cenſeatur, ubi nomen uniuſcujuſque manum qui porrexerit auxiliarem exemplo cuique ſuppeditato ſubjungetur: Ecquis enim penſum tale numeris abſolutum producendo eſt? Cum id aggredienti opera aliena ni-

opus eſt ; *nulla res* (ait *Seneca*) *conſummata eſt, dum incipit.*

Quiſquis es, O faveas, noſtriſque laboribus adſis.

Sit Saluti.

Elgini 5 Id. *Februarii Anno* 1709.

SI quis Medicinæ & Medicorum impedimenta ab ægrorum parte ſapienter in apricum protulerit commodo erit.

POR-

PROŒMIUM.

1. DUM meditor quanto Doctrinæ, cautelæ & religionis (ſpeciatim amoris Dei erga proximum) opus ſit, ut praxis Medica rite exerceatur, ad ſtuporem uſque miror, qui fit ut tot qui ſtudio medico nullam navarunt operam, quique præcognitis ne vel leviter tincti ſunt, impie, temere & perfricta adeo fronte falces ſuas in meſſem hanc alienam immittant: Qui enim principia Medicinæ cujus finis eſt ſanitas ignorat, ut is ſanum reddat ægrum, factu fortuito niſi nequaquam poſſibile.

2. Infortunia impiam hanc ac trucem Medicaſtrorum audacitatem, effrontemque eorundem nequitiam neceſſario conſequentia innumera ſunt; quorum paucula paucis proſequar.

3. Per

3. Per Medicinam intelligo Artem ſanitatem humanam ſartam tectam conſervandi eandemque labefactatam reſtaurandi.

4. Per Chirurgiam volo Artem inſtrumenta, ac remedia ad ſanitatem neceſſaria, imperante Medico, rite tractandi, & applicandi, ut ex Etymo liquet; quamobrem audiebat olim Medicina operatrix.

5. Unde patet nec Medicorum eſſe ut inſtrumenta tractent, vel remedia applicent; neque Chirurgorum ut remedia per ſe (exceptis duntaxat iis quæ moram non ferunt) nec imperante Medico ſuadeant: Et utrumque, dum contra fit, in alienam tranſilire provinciam.

6. Medicinam in tres partesdiſtribuere malim, *Anthropologiam*, viz. *Pathologiam* & *Therapæiam*.

Theo-

Theoremata Medica Generalia.

1. *MEdicina principia habet scientifica.*

2. *Medici est secundum artem operam navare; etiamsi non semper voto potiatur.*

3. *Natura præside turpe nihil.*

4. *Ratio absque Experientia prodest, Experientia tamen sine ratione ridenda.*

5. *In methodo medendi Galenici & Chymici re conveniunt, verbis differunt.*

6. *Chirurgia artificiosa manus administratione corpori medetur.*

7. *Nullibi tam desideratur Experientia quam in Chirurgo.*

8. *Bona per se pharmaca manu ignorantis tractata vel adhibita fiunt venena.*

9. *Qui Medice vivit, misere vivit*

10. *Qui Medice vivit, non misere vivit.*

CAPUT

Quibus ita Præmiſſis.

CAPUT I.

1. ANthropologiam dividere liceat in Anatomiam, & OEconomiam animalem.

2. Anatomia delineat Fabricæ humanæ partes ſolidas Oſſa nempe, Viſcera, Muſculos, Membranas, Glandes, Cartilagines, Tendines, Venas, Arterias, Nervos, Ureteres, Vaſa Lymphatica; quorum ſingulorum Situs, terna Dimenſio, Uſus, Structura, Meatus, Connexio & Conſenſus in Medelam cognoſcenda ſunt: Jam mala ex hiſce ignoratis provenientia ſparſim intueamur; cuncta enumerare provincia certe nimis dura.

3. Medicaſter Tendinis Situm ignorans eundem venæ vice pungit; quid inde? Malorum ilias, Febris, Convulſio, Delirium, Inflammatio, & tandem Gangræna: Unde miſer

æger

æger in diſcrimen non ſolum artum, ſed & vitam amittendi conjicitur.

4. Ex ſecta autem arteria venæ vice, ſin totius maſſæ ſanguineæ, at ſaltem largior ejuſdem effuſio conſequitur, & exinde virium debilitas, & difficilior cum morbo colluctatio, eventuſque periculoſior.

5. Ex ignoto ventriculi Situ, Medicamenta ventriculo accommoda Expigaſtrio, neutiquam dorſo ſolent applicari; cum tamen ſatius dorſo applicari debeant; quippe quod non tot intercedant integumenta ventriculum inter & Dorſum quot Epigaſtrium inter & Ventriculum, quæ vires Medicaminis non modo enervent ſed & intercipiant; & qui prætimide dubitat medicamen loco utrique admovere debet.

6. Hinc etiam non minus ſtudioſe clyſmata nephriticæ quam nephritico injiciunt; illic enim inteſtina inter & veſicam intercedit uterus, hic vero nihil.

7. Porro

7. Porro qui Bronchotomiam peragit, niſi nervos recurrentes ſeduſo vitaverit qui in vicinia adſunt, ægrum infauſte reddit mutum : quam cautelam tradidit nobis oculatiſſimus ille Anatomicus *C. Drelincurtius M. P.* apud *Leydenſes.*

8. Quem etiam latet abdominis profunditas Paracenteſin perperam aggreditur ille : qui venæ profunditatem neſcit, is profundius Lanceolam adigit, ut utroque ejuſdem latere perforato, utrinque effundatur ſanguis, & hinc Inflammatio, Dolor, Febris *&c.*

9. Opinabantur veteres, opinantur & nunc quoque temporis Medicaſtri paſſionem Iliacam fieri ab inteſtinorum convolutione, ac hinc nodum ſolvere ſatagunt chymæricum ; cum allaborare debeant ut amoveatur vel compreſſio ab extra, vel reſeretur obſtructio ab intra, induratas fæces emolliendo, vel valvulam inverſam ut reponant : Con-

volutio qualem ſomniant, fieri nequit, nedum quod in nodos complicentur inteſtina, Meſenterio quippe undique connexa: ut ex Anatome liquido apparet.

10. Hi autem Anatomiam neſcientes, aniles nugas nunquam non venditant, riſuque digna, nec non impoſſibilia,(Hiſtoria de Cultrivoro Pragenſi teſte) ingenti ſcientiæ dedecori ubique fabulantur: Verum tamen prima fronte impoſſibilia per multa revera effecta agnoſco; exemplo ſit Proteus ille Anglus cognomine *Heggins* (vulgo the *Supplеman*) qui ſtupentibus coram Medicis, Anatomis, aliiſque innumeris, non ita pridem *Edinburgi* plurima legibuſque mechanices diſſimillima præſtabat; Quæ viſcera,Hepar puta, Lienem, Inteſtina ſapientiſſimus rerum Artifex in abdomine collocarat, hic ad thoracis regionem deducebat, ut ſi vel manui tangenti, vel oculo inſpicienti fides adhibenda foret, ſuper-

perfuerit ea in regione cutis ſpinaque dorſi, præterea vero nihil: Nates quoque ad ſcapulas evehebat; & pedes ad verticem, quin immo pedem vertice multo altiorem nullo negotio erigebat, crurumque utrumvis humero innixum catapultæ inſtar vel haſtæ geſtabat; plantis pedum altæ menſæ impoſitis corpus erectum retrorſum ad pavimentum, brachiis neutiquam faventibus, deferre valebat, iterumque de terra attollere, motu quidem lento aſt tuto: in plano ſedebat erectus quidem quoad partes ſupra os ſacrum poſitas, cruribus interim & coxis ab invicem recta linea diſtenſis, unis dextrorſum *ſciz.* aliis ſiniſtrorſum. Atque hæc mihi impertivit teſtis oculatus vir eruditus admodum *Patricius Abercromby*, Medicinæ Doctor id temporis inter *Edinburgenos*, anno nimirum poſt Partum Virgineum 1706. Et heri mihi referebat Medicus quidam eximius hunc ipſum *Heggins* narraſſe ſe infantem

fantem faſciis involutum, (ut ſolenne eſt) non fuiſſe. Unde mira hæc aliquatenus explicari poſſe mihi aurito videntur: cum faſciæ procul dubio rigidos reddant muſculos quibus connectuntur viſcera, & dum faſciæ artuum etiam motum prohibent, rigeſcunt ligamenta: ergo cui negantur faſciæ huic ligamenta & muſculi ductiliora; ac exinde artus & viſcera ab ipſis dependentia longius ac facilius extendi ſe patiuntur; addito quod huic a cunis indies adhibita fuerant medicamina emollientia, nam parentes hiſce geſtibus quæſtus gratia hunc ab utero deſtinarunt: Aſt tandem ſuas inter geſtationes *an. ætat.* 30. obiit, partium (ut opinor) elaſticitate amiſſa ab extenſione nimia & frequentiori. *Sed hæc raptim.*

11. OEconomia animalis altera Anthropologiæ pars, partium liquidarum Chyli nempe, Sanguinis, Spirituum, Lactis, Menſium, Bilis, Succi pancreatici, Lymphæ, Sudoris, Salivæ, Urinæ,

rinæ, Stercoris, Adipis, Succi ſplenici, Medullæ & articulorum Mucilaginis Motum, Mixturam, Secretionem, atque Vaſa unicuique propria eleganter tractat. Etſi brevitati ſtudeam haud tamen omnes hæc ignorantium errores prætereundi ſunt: exemplo ſint ſequentes.

12. Animalis œconomiæ neſcius ſanguinem ex arteria emiſſurus eandem ſicut venam infra nempe ligaturam pertundit; ignorat enim ſanguinem per arteriam a centro ad circumferentiam, per venam autem a circumferentia ad centrum circumrotari.

13. Et Arteriotomi ligaturam arctam eſſe oportet, non ita Phlebotomi, verum laxiorem.

14. Porro quem latet fæcum alvinarum mixtura debita non prius earum colorem obſervat flavum, quam Choleram calumniatur; cum revera ſana ſit hæc ipſarum tinctura, ob mixtum nimirum cum Chylo excre-

crementitio bilem ad debitam fluiditatem acquirendam, nec non ad inteſtina proritanda, periſtaltici motus gratia, egeſtionis ergo.

15. Præterea qui vaſa lactea in craſſis etiam inteſtinis exiſtere neſcit, ei nunquam obviam ſe præbet Clyſma ad nutriendum, cujus & adminiſtrationem jocum riſumque facit, quod tamen ad Anginam laudandum vehementer & probandum; Clyſma nimirum nutriens Vitam (obturato œſophago) longum produxit: Et Clyſmatis formulam alvum duntaxat ducendo inſervire putant hi de quibus agitur.

16. Paucis ſic habeto: Qui OEconomiæ animalis imperitus praxin interim exercitat medicam, nec quis, nec cui, nec cur, nec quomodo, nec quorſum, nec quid agit, novit; miſer enim nil recogitat, & ne *gry* quidem rei circa quam verſatur diſtincte percipit; quod ſi fœlix contigerit eventus, qui vix decimus

quiſ-

quiſque eſt, fortuna ſolummodo contigit, haud aliter quam *cæcus quo oportet collineat*, aut *olitor opportuna loquitur.*

17. Unde Anthropologiam ejuſque partem utramque Anatomiam, *viz.* & OEconomiam Animalem cognitu omnino neceſſariam eſſe ut malo medeatur Medicus, liquido & clare conſtat.

Theoremata Anthropologica.

1. *Sanitas in debita partium fluidarum Mixtura, & ſolidarum Structura conſiſtit.*

2. *Suppoſitum* ΣΥΝΕΡΓΟΝ *eſt.*

3. *Primum Menſtruum Saliva eſt.*

4. *Ventriculus & Inteſtina in Chylificando concauſæ ſunt.*

5. *Qualis cibus talis Chylus, qualis Chylus talis Sanguis, qualis Sanguis talis Sanitas.*

6. *Senſus*

6. *Senſus, excepta phantaſia, in ſomno feriantur.*

7. *Figura naturalis & præternaturalis ab oſſium ſtatu dependet.*

8. *Cutis Vaſorum capillarium congeries eſt.*

9. *Memoria non depravatur.*

10. *Cæci etiam Vertigine corripiuntur.*

11. *Impotentia etiam ea quæ Magica audit remediis naturalibus ſanarì poteſt.*

12. *Ciborum coctio noctu fit melior, diſtributio interdiu.*

13. *Rectum ſui & obliqui index.*

14. *Omnis muſculus ſuum habet ventriculum.*

15. *Ut cauſæ morbificæ in corpus agant, requiritur agentis & patientis proportio.*

16. *A partu puerpera concipere poteſt abſque menſibus præviis.*

CAPUT

CAPUT II.

1. PAthologia morbi Signa, Symptomata, Partem affectam, Cauſas, Pracatarcticam Antecedentem & Continentem deſcribit.

2. Medicaſtri ſæpenumero ſe morbi nomen neſcire fatentes, ſua interim medicamenta (quæ cultu ſpecifico ſemper ornant) recitant, & ſuadent; nec prius ægrotantis lectum attingunt, quam ſanitatem pro certo ſpondent: O quam ridiculum! Aureos montes pollicentur, fumos ſolummodo vendunt. Attende ſis ſagaciſſimo Sydenhamio in *Epiſt. ad D. Brady de Febri anno* 1679. graſſanti; Quis ex inſulſiſſimis Empiricis eſt, qui ſe huic morbo curando imparem fatebitur? At nec ipſe valet comprehendere ſuo marte, nec e Medicorum ſcriptis ediſcere, quæ demum ſit illa febris ſpecies quam debellare ſatagit, variæ

dantur febrium ſpecies, quarum ſingulæ ſuam ſibi methodum medendi a reliquis diverſam fere poſtulant— Nequit dijudicare an hoc vel aliud phænomenon a curandi quam adhibet methodo, an ab ipſo naſcatur morbo.

3. Dum vero morbo nomen imponere audent, ſœpius rem perperam accipiunt; Melancholicum cui adeſt mentis Alienatio Hypochondriacum pronunciant, & econtra Hypochondriacum cui abeſt mentis Alienatio, Melancholicum: ſic non raro Catarrhum Phthiſin, & vice verſa Phthiſin Catarrhum dixerint; Rheumatiſmum Sanguinem vocant, & Choleram Flatum.

4. Certe hæ duæ voculæ, Sanguis Flatus, cunctos fere morbos apud Medicaſtros complectuntur.

5. Inſidet in memoria hiſtoria de quodam inter Empiricos noſtrates, qui de morbo capitis quodam a quodam. *V. D.* Præcone interrogatus, obſervans virum alias validum

& corpore vigentem, necdum conjugatum, morbum *obſtructio ſemen* parum latine nominare nullus dubitavit.

6. Similiter quod vera & genuina morborum ſigna non inveſtigent, eorundem diſcrimen ignorant: Hippocrates, dolente latere, fotum Venæſectioni præmittendo morbum explorabat, Fotu nempe exacerbatur Pleuritis, quo tamen mitigatur ſimplex Lateris dolor, unde indicatur quantitas ſanguinis detrahendi, parcior in caſu hoc, largior in illo.

7. Quotuſquiſque ex illis hydropem pectoris comperiret? morbum hunc reſpirationis procul dubio difficultatem appellarent, congruenter ad quod in medelam citarentur pectoralia, ſed nihil ad Rhombum.

8. Quin & læſo articulo Nervoſo, dum effluit ob dolorem & inflammationem cremor lactis ſimilis, genuinum Articuli humorem effluere exclamant, cum totius corporis Articuli

ticuli non tantum contineant humoris ſui, quantum intra dieculæ ſpatium ex vulnere hujuſmodi apoſtematoſo profluit.

9. Reprehendendi etiam qui nullum non morbum ex Urina dignoſcere ſe poſſe vel ſimulant vel cenſent : perverſa quidem & riſui habenda eſt hæc praxis, eorumque opinio qui ex ſola lotii inſpectione morbos univerſos eorumque eſſentiam dignoſcere ſatagunt. Urinæ (inquit Medicorum Princeps) judicium fallax ; ex ſignis propriis omnibus ſimul ſumptis & rite conſtitutis, ægrique relatione cognoſcitur morbus : Univerſum judicium ab urinis deſumptum excudendum per collationem Urinæ naturalis cum præternaturali, quod ut fiat noſſe oportet qualis exiſtit urinæ habitudo hujus, cujus urina affertur dum morbo immunis, non enim omnes ſanæ omnium urinæ iiſdem ſemper affectionibus præditæ ſunt, quoniam

ſuum

ſuum cuique temperamentum eſt (quod obiter intemperiem nuncupare malo) unde liquet quam temere glorientur qui ex ſola urinæ inſpectione divinare audent, num urina allata ſit viri, an mulieris, ſenis an junioris, Virginis an gravidæ, ægræ an ſanæ, & ſexcenta hujus farinæ alia. En lepidam *Foreſti* hiſtoriam, *lib.* 2. *De incerto Urinarum Judicio c.* 5. Ruſticus quidam, hyeme & tempore admodum frigido, ut aqua gelu concreta foret Uxoris urinam iterum igne ſolutam ad medicum deferebat; Medicus ruſtici ſimplicitatem animadvertens, cœpit interrogare nunquid uxoris ipſius urina eſſet, reſpondet Ruſticus ita eſſe, & Juſſit ut Medicus diligenter inſpiceret, ac nunquid alia ex ea cognoſceret indicaret, Medico igitur urinam inſpicenti ſuſpicio aliqua de dolore aliquo externo oborta eſt, cum urina optimi coloris eſſet, de dolore autem cum inquireret papæ exclamat

mat Ruſticus recte divinaſti, ſed unde dolor inquit, quem in latere livido jam facto patitur? Medico de dolore foris apparente edocto non difficile fuit ipſum e caſu quopiam aut ictu ortum fuiſſe, quapropter rogavit nunquid uxor cecidiſſet, Ruſticus demiratus Medicum & hæc rite prædixiſſe, Magiſter inquit, ſi mihi dices ubinam ceciderit, habeberis a me inter omnes alios Medicos facile ſupremus: Medicus coloni ſimplicitatem agnoſcens ædium rationem evolvit atque uxorem per gradus vel ſcalas delapſam fuiſſe pronunciat: tum ruſticus per Jovem, inquit, ſi mihi e lotio narrare noveris per quot gradus illa deciderit, optimum te artificem apud omnes decantabo, tunc Medicus cubilia ruſtica minus alta eſſe ſciens, fortaſſis per duodecim gradus uxorem decidiſſe ait, Ruſticus vero diligenter, inquit urinam inſpicias nam ſunt plures, Medicus igitur reſpondet lubrica

brica nunc eſt via præ nimio gelu, nunquid in terram ex improviſo lapſus urinæ nonnihil effudiſti? Ruſticus ut homo erat ſimpliciſſimus medicum non aliter quam vatem aſpexit atque ejus ex urina judicium admiratus, cecidi inquit, atque urinæ nonnihil effudi, quamobrem cum Medicus hoc audiviſſet, cum gravitate quadam ita ruſticum allocutus eſt, Amice, eo in loco quo te cecidiſſe affirmas reliquos gradus inquire, eos enim in matula hac non habeo. Rubore etiam perfunditor qui ex alvi fæcibus Lipothymiam dignoſcere audet.

10. Veruntamen Uroſcopia in praxi Medica ſubſidio nonnunquam venit, cui accuratiſſimus ille *Bellini in Tract. de Urinis* debitum perſolvit honorem, illa (inquit) dicitur urina naturalis, quam maxima pars hominum bene valentium excernit; & cum hac reliquæ comparantur ab hoc naturali ſtatu recedentes: *Et*

paulo

paulo infra; Urinæ ſunt inter fontes ſignorum ex quibus omnibus ſigillatim quidem obſervatis, ſed collectis, deinde ſimul comparatis inter ſe, & perceptis eorum cauſis, cum eodem tempore in eodem corpore deprehenduntur, devenimus in cognitionem cauſæ, quæ in illo corpore omnia illa ſimul ſigna, hoc eſt, omnes illas affectiones producit, & omnes illas affectiones ſimul talem morbum appellamus, cauſam vero ejus cauſam earum omnium affectionum ſimul.

11. Si forte incidat Medicaſter in ægrum hydrope incipienti laborantem, externa ſua applicabit ad crurum œdema, ſed quorſum? Vana erunt iſta remedia, nec pluris refert hujuſmodi applicare medicamina, quam ſi imbrem in cribro gerat: Quid fit? Morbus inſtar anguis latet, ſumptus accumulantur, ægro interim medium crepituro, & hem! Quo fretus eſt Medicus.

12. Por-

12. Porro, quis eſt ille Medicaſter, qui ſi virum de nihilo lætiorem inviſerit Melancholicum dixerit?

13. Inter Morbi Symptoma & morbum eſt etiam diſtinguendum; qua in re ſumma eſt adhibenda cura, quippe quod morbo primario ſublato plerumque ſponte cedant Symptomata: aſt modo Symptomata ita urgeant, ut vires valde dejiciantur ſeu grave aliquod periculum minitentur, ſive cauſæ veſtem induant, ab hiſce neceſſario petuntur indicationes, moras enim male ferunt, Medicinaque ergo incunctanter facienda, ne prius pereat æger quam Symptoma mortiferum tollatur: hinc hic cauto opus eſt, ne recta ratio non ineatur, unde illud *Freitagii* mihi ante oculos obverſatur; In Cauſone (inquit de vulgo Chirurgorum) cum linguam ardoribus fuſcam vident, in qua morbi cauſam ſubſiſtere rentur, neglecta febri ægrum interemptura, linguam fricant, vel-

licant, & excorticant: aſſe quidem chara eſt hæc praxis.

14. Et ſcioli hi Diarrhææ Fami, Inappetentiæ, Hæmorrhagiæ, Vomitui &c. Eandem medendi methodum in febri adhibent, quæ iiſdem dum morbi exiſtunt primarii adhibenda eſt: Res periculi plena.

15. Datur Sitis Symptoma, datur & Sitis morbus variam quæ poſtulant medendi methodum.

16. Nauſeam a Scorbuto tollere nitentes non admiſtis Antiſcorbuticis laterem lavant.

17. In Hyſteria animi deliquium intuentes, dulcibus, mellitis, & ſaccharatis incumbunt, quæ quidem non modo morbum fovent, ſed & Symptomata etſi conſopita excitant: hic enim fætidis & ingratis urgenda eſt ægra.

18. Medicaſtri partem affectam neutiquam cernentes longiſſime a ſcopo aberrant: *e. g.* Æger laborat angina ad cujus medelam ſuadetur

inciſio

incisio ab autoribus, suadetur & Clysma nutriens, nequaquam vero in eodem casu ; datur enim Angina Cynanche: *i. e.* Inflammatio Trachææ, datur & Angina Synanche, *i. e.* Inflammatio OEsophagi, cui priori debetur incisio, posteriori autem Clysma, quæ tamen mixtim consulunt hi, Nubem pro Junone amplectentes.

19. Similiter ab Hæmoptoico in consilium vocati promiscuis utuntur auxiliis ad diversam Hæmoptoes speciem, Ventriculi *sciz.* & Pulmonum, licet prior Stomachica, posterior pectoralia exigat Traumatica.

20. Hinc etiam Hepatitem dictatorie Pleuritim pronunciavit nonnemo, qui imperium populique vocem avidissime affectans, alium præoccupatum insolenter admodum habuit, quod errantem in viam veritatis reducere moliretur; dolor enim nequaquam in thorace, aut infra costas versabatur nothas: Sed hisce

non

non immorandum ; infirmi exiguique eſt animi voluptas ultio.

21. Parti primario affectæ omnino proſpiciendum ; quam cautelam prætereuntes medicamenta in Paralyſin idonea membro Paralytico adhibent, quæ nervorum origini ad membrum illud tranſeuntium adhiberi oportet : Nam ut habet *Dolæus Encyclopæd. Med. Dogm. lib.* 1. *cap.* 11. Nervorum origines obſervandæ ſunt, unde maxima cum diligentia Anatomiæ incumbendum, ut cognoſcamus Nervorum omnium diſtributionem, & a qua ſpinalis medullæ parte Nervos ſuos ſingulæ partes habeant, ne contingat illud quod apud Galenum quibuſdam accidiſſe legere poſſumus, quod manui Paralyticæ ipſi applicaverint Topica nervina quæ Spinæ congruebant.

22. Antequam Medicaſtrorum errata circa morborum cauſas aggrediar; fundamentum ſubſtruendum duco, quod mihi conciſe ſuppeditavit

D. Bag-

D. Baglivi lib. 2. De Praxi Medica cap. 8. §. 2. libro ad amuſſim limato & me judice nulli ſecundo: Coagulationi (ait) & Diſſolutioni Fluidorum, Tenſioni & Flacciditati Solidorum morborum omnium origo attribuitur: Quæ hypotheſis utpote omnium quas hactenus, vel legiſſe vel audiiſſe contigit adæquatiſſima, mihi maxime arridet, quippe quæ nos per regulas mechanices rei certiores reddat.

13. Caudices hi de morbi cauſa interrogati in procatarcticam malis avibus uſque ruunt, quæ quamvis non ſemper & ubique ſpernenda, nequaquam tamen tanti quanti continens eſt facienda, quæ modo innoteſcat, in vado utplurimum res eſt, ſin minus, Andabatarum more pugnatur, incerto ſemper judicio, & ſi animo placido at certe procliviori.

24. Quid quæſo ad Rhombum? Hœmoptoen frigori ante annum ſuſcepto vitio dare: aſt ita nonnuſ-

quam

quam philoſophabatur nonnemo; an non proram & puppim tum tenebat?

25. Inter procatarcticas quantum valeat conſuetudo, pleroſque fugere vereor; ægrotat hoc verno tempore, ſi venæſectionem neglexerit, qui eandem tempore verno pati ſolebat, quod contingere plurimi mecum experti teſtantur: cujus elucidationem cum præbuerit peritus quicunque ſit, erit mihi magnus Apollo.

26. Menti adeſt hiſtoria Matronæ cujuſdam *B. M.* cui ex canis morſu dolebat manus, qui dolor, durante canis vita, eodem anni tempore quotannis rediens, cane mortuo redire deſiit; cujus rei & periodicarum ſpeciatim annuarum recidivationum qui erudite ediderit, OEdipus alter erit.

27. Exiſtimant hujuſce farinæ viri eundem nomine morbum ab eodem cauſarum fonte ſemper provenire,

nire, neque mirum quod eandem ubique adhibent medendi methodum cum tamen variæ dentur unius ejusdemque nomine morbi ſpecies, quarum unaquæque ſuam variam exposcit medelam, & niſi morbus hujus ſpeciei (qui forte remedia toto cœlo diverſa exigit) ab illius ſpeciei morbo diſtinguatur, in præproperam perniciem conjicitur æger: quod apertiſſime in lucem profert, *Cl. D. Morton de Phthiſi a Lue venerea, Scorbuto, Ictero, Chloroſi &c.* quarum unicuique propriam deberi medendi methodum inſigniter dilucidat.

28. Contabeſcentia quandoque ab ulcere pulmonum, interdum a vaſorum lacteorum obſtructione, compreſſione, aut occluſione oritur; prior Balſamica flagitat a poſteriori repudiata, poſterior aperientia, & Cathartica priori minime gentium permittenda.

29. Eo-

29. Eodem pacto in febrim ab ebrietate natam Medicaſter hic uſquequaque venæſectionem adminiſtrat, ille Vomitum, & uterque auctoritatis excuſatione ſe defendit; verum quidem eſt venæſectionem ab hoc autore, Vomitum ab illo ſuaderi, & recte quidem ab utroque ſcriptore, nec minus perperam forte ab utroque Medicaſtro: Tempora quoquo pacto diſtinguenda; Vino *ſciz.* in Ventriculo adhuc hærente, conducit Emeticum; Venæſectio autem cum ad ſanguinem perventum eſt, quam Theoriam ignorantes autorum non ſatis cernunt ſenſum, quorum quoque conſilia perperam adaptant in ægrorum ruinam.

30. Porro alvus adſtricta a nimia ſanguinis incraſſatione interdum fluit, alias a tubulis glandularum inteſtinalium obſtructis; hoc in caſu aperientibus, in illo medicamentis attenuantibus opus eſt.

31. Simi-

31. Similiter Diarrhæa a nimia ſanguinis tenuitate ſuam interdum ducit originem, alias a glandularum inteſtinalium vaſis excretoriis in inteſtinorum cavitatem plus juſto hiantibus; in priori caſu medicina incraſſans, in poſteriori aſtringens neceſſaria eſt: quo ordine inverſo, quod ſæpenumero præ Medicaſtrorum incogitantia fit, in pejus ruunt cuncta.

32. Ita etiam de cujuſcunque generis fluxu arguere oportet; an nimirum a liquidarum nimia tenuitate, an copia, anne ab oſculorum, pororumve apertione nimia effluat; quod certe ingentis eſt momenti, ſagacitatiſque plus exigit, quam in numerato habet Medicaſter ullus.

33. Præterea Vomitus ab ingeſtis proveniens Emeticum poſtulat, quod exhibitum dum a perverſo ventriculi tono procedit, mortem accerſit, tum vero Medicamina Ventriculum corroborantia exhibenda ſunt.

34. Inſuper Emeticum Aſthmati admodum conducit, haud tamen omnigeno; humidum ſi ſit, Phlegmata pulmonum cellulas replentia concuſſione pectoris ab Emetico mobiliora facta, facilius ejiciuntur; dum vero ſiccum exiſtit Aſthma, in hoc rerum ſtatu, muſculorum nervorumque reſpirationi inſervientium obſtructionem aut tonum amiſſum forte obfirmando, pernicioſum evadit Emeticum; Ubi quoque Thoracicis expectorantibus rem committunt hi; aſt quo? Pulmonibus illæſis, molimine caſſo.

35. Adhæc in menſium defectu a ſanguinis inopia laborantem incidens Medicaſter Phlebotomiam mandat, quod morbi cauſam ne prorſus quidem ſcrutetur; vice verſa in aliam eundem perferentem defectum forte incidens, qui interim a ſanguine craſſo nec parciori oritur, Phlebotomiam excludit: quod hac non ſucceſſerit alia aggredietur via: Quod

Quod mihi in mentem revocat *Bellini propoſ.* 49. *de Miſſione ſanguinis, in Opuſc. ad Arch. Pitcarn. M. P. Lugd. Batav.* Virum, cui ingenium omnibus ſane numeris abſolutum: *Sanguine ita vitiato ut vires lædantur, perinde eſt ac ſi ſanguis qualitate quidem naturaliter ſe haberet, ſed ea imminuta eſſet quantitate, quæ requiritur ad datam illam virium læſionem producendam.* Unde plurima in praxi Medica utiliſſima meditanti exhaurienda præbentur. Sed ut unde abii, redeam: Utut morbi hi eodem gaudentes nomine, unus idemque videantur, longe tamen variam exigunt Medicinam; caſus prior incraſſantem quæ ſanguinem augeat admittit; attenuantem autem poſterior neceſſario exigit, incraſſantem omnino reſpuens.

36. Ad Tuſſim pectoralia interna præſcribuntur, & rite quidem ad Humidam, verum ad Siccam inani niſu: Remedia tum muſculis convulſis, ſive

ut

(ut *Baglivianis vocabulis utar*) corrugatis aut relaxatis applicanda: Quod fidei Theoriam Medicam parum intelligentium abſonum eſt.

37. Tremoris denique variæ ſunt cauſæ, ſpirituum nimirum penuria, aliquanta Nervorum obſtructio, occluſio, compreſſio, valvulæ perverſio & (ex prædicto autore rerum ſcrutatore pervigili optimeque de re Medica merito) fibrarum tenſio, & flacciditas, quibus variis non eadem debetur medela; quarum quoque diſcrimini indagando plurima ſagacitate Medica opus eſt.

38. Ex quibus pauculis colligere licet, quam inſcie nec non immaniter ludant hi de corio humano, varias morbi cauſas non dignoſcentes; Vitanda adhibent, Adhibenda vitant, ignorant enim quid *diſtant æra lupinis.*

Theo-

Theoremata Pathologica.

1. *UBI desinit Physicus ibi incipit Medicus.*

2. *Morbus consistit in partium fluidarum mixtura, solidarumque structura indebitis.*

3. *Quod mortales nomine dicunt Naturam hoc nihil est.*

4. *Nemo consummata fruitur sanitate.*

5. *Quo propiora sunt ortui corpora eo sanguis & serum magis proportionata sunt.*

6. *Omne sensile excellens sensum lædit.*

7. *Nullus datur morbus quem non sequitur actio læsa, vel abolitione, vel depravatione, vel imminutione.*

8. *Dum læves fiunt asperæ partes, duræ mollescunt &c. Actio læditur.*

9. *Solutæ unitatis differentiæ quinque sunt, Ulcus, Vulnus, Contusio, Ruptura, Fractura.*

10. Con-

10. *Conſenſus morborum conſiſtit in communione vel generis, vel viciniæ, vel officii.*

11. *Morbus per conſenſum ob diuturnitatem in eſſentialem evadit quandoque.*

12. *Morbi chronici raro fiunt per conſenſum.*

13. *Morbi conſpirantes ſæpe ſeparati videntur.*

14. *Morbi a colluvie ſeroſa oriundi & cum dolore conjuncti, ut plurimum nocte exacerbantur.*

15. *Aer eſt Vehiculum contagii.*

15. *Plurimi morbi a tranſpiratione cohibita originem capiunt.*

17. *Motus a cibo vehementior chylum in vaſa præcipitat.*

18. *Symptoma eſt productum vel comes Morbi.*

19. *Noſcitur ex Comite qui non cognoſcitur ex ſe.*

20. *Ut morbus Morbum, ſic & ſymptoma unum aliud producit.*

21. *Quæ pica laborant non ſemper pulchriores fœtus gerunt.* 22. Do-

22. *Dolor eſt vel actualis ruptio, vel ruptionis periculum.*

23. *Dolor eſt vel punctorius vel gravativus, vel pulſatilis, vel diſtenſivus, vel lancinans.*

24. *Laſſitudines ſpontaneæ Morbum & præeunt & ſequuntur.*

25. *Non ſolis ſenſibus acquieſcendum, ſed & Rationem adhibere Judicem oportet.*

26. *Quæ non ſignant ſingula multa notant.*

27. *Uni ſigno non fidendum præterquam eſſentiali.*

28. *Qui ante Annos pubertatis Eunuchi facti Imberbes manent; Qui poſt, barbam retinent.*

29. *Lac & Menſes in gravidis profluentia fœtum debilem notant.*

30. *Pulſus durus tenſivus membranoſi generis affecti Index.*

31. *Medicus pulſum tangat non ſuperficiarie.*

32. *Nec ſuſtineat tactum, & repetat.*

33. *Coctio non omnibus competit morbis, Cruditatem præsupponit.*

34. *Qualis sanguis, tales Menses, & vice versa: hinc testantur de sanitate fœminæ.*

35. *Sedimentum in sanis nullum, morbum imminere, in morbis cruditatem notat.*

36. *Pulsus in Infantibus ut plurimum negligendus.*

37. *Ictus debilis, debilis facultas.*

38. *Ægri pulsus non statim post cibum tangendus.*

39. *Pulsui soli fidere noli.*

40. *Morbi sientes difficulter, facti facilius dignoscuntur.*

41. *Læsione & causa cognitis Medicinam adhibeto: Morbi non agniti nulla medela.*

42. *Melancholici sunt sputatores & flatulenti.*

43. *Flatus vagi transitorii tensivi sunt, humores fixi constantes pungitivi.*

44. *Ubi flatus audiuntur ibi peccant.*

45. *Me-*

45. *Medicum tria morbum docent, Videre, Quærere, Tangere.*

46. *Quæsita potiora sunt,* 1. *Quid patiatur?* 2. *Ex qua Causa?* 3. *Quot diebus?* 4. *An alvus succedat?* 5. *Quali victu utatur.*

47. *Dolor gravativus parenchyma, acutus membranas, profundus & acutissimus, perioſtium affectum significat.*

48. *Dolor manu premente ingravescens externam, alias internam affici partem indicat.*

49. *Tussi excretum e Pulmone fertur, Screatu ex Arteria aspera, Vomitu ex Ventriculo.*

50. *Terror Epilepsiæ Mater.*

51. *Juventus fundamentum sternit sanitatis.*

52. *Consuetudo altera Natura est.*

53. *Qui bene ingerit, digerit, & egerit sanus.*

54. *Ignoti nulla indicatio, nulla curatio.*

55. *Pure excreto Ulcus, sanguine*

vasis sanguiferi apertionem, vel ruptionem scito.

56. Symptoma primarium per secundarium cognoscitur.

57. Quæ prius ejiciuntur de proximiori loco testantur.

58. Coctio crassescentia, Cruditas tenuitate percipitur.

59. Crisis fit semper in statu.

60. Duo fiunt in Crisi, Coctio quam sequitur Separatio, & Expulsio.

62. Nihil paucum Criticum.

63. Excrementa viridia, lac corruptum.

64. Graciles non raro plus possident sanguinis quam obesi.

65. Cum Ulcerum parietes callescunt fiunt Fistulæ.

66. Sanguinem sequitur Pus.

67. Astra inclinant sed non urgent, ut Theologice sic Physice verum.

Digreſſus de Prognoſi.

CONſulto Prognoſin prætereo; utpote ad Medicinam nequaquam pertinentem; anxietati forte morigeratur, nullius interim ad medelam momenti; fidemque fallere ad prædictoris ignominiam quotidie notatur; hinc aurum auramque captare volunt Medicaſtri, quo & fine ſæpius & merito excidunt: Unde etiam ignominioſam iſtam Ars Conjecturalis cognominationem germinaſſe putem: Riſui ergo habendi ſuas qui narrant prognoſes; *Hominum conatus, Dei eventus.* Nihilominus non gravabor quædam ſubnectere Theoremata, quippe quia nullus nego Morbi eventum a Medico ſagaci prævideri, ſæpe & prædici poſſe; Solos enim hic loci corripere velim qui vel prædictionibus freti remedia negligunt, vel quæſtiunculis, ut ſæpius fit, ineptis de morbi exitu Medicum cruciare pergunt. The-

Theoremata Prognostica.

1. *ÆGrum Prognostico impie relinquere noli.*

2. *Nec temere nec timide de exitu pronunciato Medice.*

3. *Bona ægro, Mala adstantibus narra.*

4. *Bona prompte, mala quasi invitus; singula tamen limitate enunciabis.*

5. *Morbi connati adscititiis graviores.*

6. *Intermittens morbo non intermittente tutior.*

7. *Quo pars affecta nobilior, mos pejor & læsio grauior, eo morbus major.*

8. *Omnis acutus magnus, non tamen omnis magnus est acutus.*

9. *Omnes moriuntur in statu, nemo in declinatione.*

10. *Omnis subita mutatio est periculosa.*

11. *Tremor in corpore sano, est Paralyseos prodromus, in Paralytico sanitatis.*

12. *Pol-*

12. *Pollutionem nocturnam Gonorrhææ ſuccedere bonum, hanc illi malum.*

13. *Lac præſens niſi exſugatur grumeſcit.*

14. *Præſtat ex Urina judicare interrogando quam decidendo.*

15. *Pulſus undoſus in Vermicularem evadens malus.*

16. *Pulſus durus tenſivus Convulſionum præco.*

17. *Pulſus Intermittens terret Medicum, & fallit niſi cordatus ſit; hinc in pleuriticis, febribus Malignis, ſcorbuticis, palpitatione cordis, ſenibus &c. frequenter occurrit citra omne periculum.*

18. *Urina bona pulſus bonus æger moritur.*

19. *Pulſus deficiens excedente pejor.*

20. *Mutatio omnis ſenſibilis machinæ humanæ, ſive in toto, ſive in certa parte, morbum inſtare minatur.*

21. *Spontanea laſſitudo Morbi prodromus.*

22. *Omni*

22. *Omnis mutatio in Macrocoſmo, mutationem in Microcoſmo portendit.*

23. *Uni ſoli ſigno neutiquam credendum.*

24. *Ægro obſecundante omen melius.*

25. *Quo graviora ſymptomata concurrunt, eo citior terminatio.*

26. *Omnis Recidiva deterior ſua radice.*

27. *Tuſſis cum febri ſæpius bona.*

28. *Corpus deforme diu durare nequit.*

29. *Tale tali additum, gravis gravi morbo, illud magis tale reddit.*

30. *De morbo incipiente acuto prædictio nulla.*

31. *Mens ſana in ægro corpore optima.*

32. *Delirium nullum tutum, præſertim cum ferocia vel ſilentio.*

33. *Απάθεια in quocunque morbo, Mala.*

34. *Mores, verba, ſenſus, quo ſolito diſſimiliora, eo ſtatus pejor.*

35. *Somnus bonus, nimius tamen Lethi frater.*

36. *Floc-*

36. *Floccos legere, oculos habere torvos & feroces malum.*

37. Βραγχικοια *in febribus continuis bona.*

38. *Convulsiones in fœminis tutiores.*

39. *Ronchi in Empyicis, Hydropicis & Pleuriticis, lethiferi.*

40. *Expiratio frigida Lethalis.*

41. *Voracitas omnis mala.*

42. *Si post curatos morbos Inappetentia remaneat, recidivam prædicito.*

43. *Sputum cruentum in malignis, & pleuriticis bonum denotat.*

44. *Facies Hippocratica Lethalis.*

45. *Scroti corrugatio in Infantibus bona, præterquam in Chronicis.*

46. *Quo morbus acutior, eo Crisis citior.*

47. *Dies quartus est septimi index, Undecimus decimi quarti.*

48. *Post decimum quartum vel vigesimum diem ad crisin vix attenditur.*

49. *Crises simultaneæ symbolicæ bonæ, inæquales malæ.*

50. *Asse-*

50. *Affectus quam in gravidis nunquam noxiores.*

51. *Senectus non annis, sed viribus metienda.*

52. *Qui medice vivere recusant aut in remediis sumendis morosi sunt non curantur.*

53. *Ante Victoriam triumpham ne canito.*

CAPUT

CAPUT. III.

1. THerapœia Prophylaxin, Remedium, Contraindicans, Remedii materiam, hujuſque Qualitatem, Quantitatem, Tempuſque exhibitionis oſtendit: Ut vitium primæ coctionis in ſecunda non emendatur, ſic qui utramque, vel alterutram priorem Medicinæ partem ignorant, cum ad hanc tertiam ventum eſt, exinde neceſſario hic etiam errant: Sed ſpeciatim & breviter, cuncta enim horum narrare errata, laborioſius eſt quam Sybillæ folia colligere.

2. Ex præconcepta opinione quod venæſectio abortum accerſat, eandem, etiamſi coindicet plethora, negligunt, operaque dedita vitant Medicaſtri; quo tamen in caſu utramque facit paginam venæſectio.

3. Qui præcautionem faceſſit ſedulo explorare oportet, *1mo.* Ægri

intemperiem. *i. e.* Morbi cui proclivis eſt æger naturam generalem, quam levi negotio expiſcetur peritus quiſque, ex natura morbi, vel morborum quibus olim laborabat æger, 2. Morbum qui ea tempeſtate, & hic loci graſſatur: Niſi enim Intemperiei, morboq; graſſanti approprietur prophylacticum caſſum eſt, ſi non lethiferum: quæ tamen cautio non ante græcas calendas Medicaſtris innoteſcet.

4. Unde quæſo quærunt illi remedium? A libellis ſuis nugis paſſim ſcatentibus: Quod ſi forte librum qui ex uſu ſit nanciſcantur, eodem legitime uti neſciunt; An Univerſi qui rem Medicam tractant perite hoc agunt? Minime gentium; Non omnes qui Citharam tenent Citharædi: Fac quemvis Medicaſtrum Macaſii Promptuarium conſulere, de ſanguinis expuitione cum tuſſi febrique hectica, hunc in modum argumentabitur, Eſt Thoracis morbus, ergo me ad Thoracica converto, u-

bi

bi offendit. *Sp. C. B. Ol. Angel. Aniſ. Anth. Carv. Cumin. Fœnic.* & id genus plurima, Medicamenta ſane Thoracica, & alibi maxime Idonea, aſt huic morbo augendo non minus apta : Non omnia thoracica homogenea ſunt & ejuſdem farinæ : Aſt miſcent hi quadrata rotundis.

5. Addito quod plerique libri erroribus vel Typographi vel Autoris inquinati ſunt, a perito duntaxat emendandis : Exemplo ſit idem promptuarium, *lib. poſt. §. 3. cap.* de Vigilias inducentibus; Ubi inter alia recenſetur Balſam. Hypnotic. Somnum inducens an Vigilias inducit ? Qui tamen liber cum cæteris ejuſdem indolis ingens præbet Medico ſolerti commodum.

6. Rhabarbarum inter Cathartica locatur, aſt toſtum aſtringens evadit.

7. Theriaca laudatur ad affectus ſoporoſos, aſt intelligenda Vetus, recens enim ſomnum inducit.

8. Libelli

8. Libelli cui titulus, *The Countrey Phyſician* autorem reputatum maximopere veneror, utpote pio ac Miſericordi incitamento impulſum; plus tamen nocent, quam proſunt libelli tales, præſertim vernaculo idiomate conſcripti, niſi Medici Monopolæ conſtituantur *vid. Bagliv. cap. 9. De morborum ſucceſſionibus* ——depravatæ huic conſuetudini magnam occaſionem dedere Medici, qui nunc Vernacula ſua lingua omnia ſua typis mandant, & Vetulas docent e culina cum ipſis etiam Medicinæ principibus arroganter diſputare, & de mille receptulis delirare &c. Ad alvi fluxum (ut ex plurimis exemplis unum ſeligam) Butyrum inſulſum & præterea nihil ſuadet prædictus Author: Quod huic morbo debellando hic & nunc conducere non negem, omni tamen & ſemper alvi fluxui, Butyrum inſulſum medendo par eſſe nequaquam concedendum: Alvi fluxus non raro

ro phlebotomiam efflagitat, dein Catharſin, & denique aſtringentia : Indoctus tamen quiſquis hujus autoritati innitens plenam committit Butyro potentiam ; & (me ſponſore) ſuo ſæpe exitio: Cujuſmodi capitales errores, qui Philoſophia Medica inſtructus non eſt, detegere nequit; Nihilominus acriter reprehendendi ſunt qui literatos ab arte excolenda deterrent, novitatem objiciendo, conviciorumque plauſtra in hos congerendo, nam mortalium plerique veritatis parum amantes,& de ſe ingentia ſentientes, ſemet inſcitiæ aut imperitiæ argui putant cum quæpiam ipſis nondum nota divulgantur ; ſed Macti Cordatiores.

9. Et ſuas ore duro jactitant experientias ; quod acriter redarguit *Cous Senex*, Experientia (ait) fallax, Ratio quidem & experientia ratione ſuffulta in re medica omne ferunt punctum ; Aſt Experientia obſervatione ſola nitens, Ratione deſtituta

falſa

falsa est, & futilis merito censetur; Doctrina vana est ratio ni accesserit: Etiamsi (ait *Erasmus)* innumera absorpsisses experimenta, haudquaquam Medici, sed empirici personam indueres, & tua sine rationali doctrina Experientia est vel ipsa Moria, vel Stultitiæ Magistra: Non ætate sed ingenio sapientiam adipiscimur: Experientia non ævi longioris, verum scrutinii perspicacioris est proles: Quod pluribus nec immodicis verbis depingitur a Nostrate *D. Brown M. D. in libello cui titulus, Vindicatory Schedule, pag.* 42, & 43. Cui (Autoris pace) subjicerem experientiam hanc solummodo laudandam, quæ ratione comitata ex eruditorum colloquio vel lectione comparatur, quo quidem sensu quadragenarius experientiæ plus possidebit quam sexagenarius quisquis hanc non observans Methodum: Et quanti quæso est experientia unius ad plurium experientiam cæteris paribus

bus comparata ? Qua de re prudentiſſimus ille *Baglivus*, *Prax. Med. lib.* 1. *cap.* 2. §. 12. hoc modo diſſerit, Quod ſpectat ad peculiarem cujuſlibet morbi curationem arbitror experientiam raro fœliciter ceſſuram, niſi ratio obſervationi adjungatur : Mille namque morborum cauſæ, varia ægrorum temperamenta, ætates, ſexus, vitæ genera, climata diverſæ naturæ, variæ annorum conſtitutiones & varia ſemper influentes, innumera denique alia quæ ad producendos fovendoſque morbos concurrunt, ita interdum certam conſtantemque morbi & ſuorum ſymptomatum naturam perturbant, ut difficile ſit veritatem inveſtigare niſi complexus horum omnium ſagaci rationis uſu perpendatur & illuſtretur : Hoc addito ex *præfat. ad oper. omn. Bagliv. Edit.* 6. Cæterum Baglivo ſuccenſeat nemo, quod Stibiatorum & Chinæ Chinæ laudes non adeo extollere videatur : Ut ſuos quiſque patimur

timur manes, ſic ſuum cuique regioni concedendum ingenium, ſuus cuique morbo character, propria indoles & curandi ratio varianda ſæpe pro perſonarum, climatum, &c. varietate.

10. Quod ad Medicamentorum vires attinet, Qui rem medicam rite exercere velit, has ad unguem callere debet, non ſolum Evacuantium, Diaphoreticorum nempe, Catharticorum, Emeticorum, Caputpurgiorum, Salivantium, ſed & Alterantium, quænam *ſciz.* Medicamenta diſſolvant coagulatum, coagulent diſſolutum, tendant flaccidum, & flaccidum reddant tenſum; hi nihilominus compoſita præſcribere & ſuadere audent, quorum ſimplicia ne nominare queunt. Et ampla promptaque materia Medica inſtructus eſſe debet, ne ſuos libros inaniter legat: Sed obiter utinam ad pleniorem Diureticorum & Salivantium pervenire liceat uſum.

11. Dum-

11. Dumque hypotheſi iſti obſoletæ, de frigido, calido, humido, ſicco immorantur, nulli animadvertunt frigidorum alia obſtruere, alia deobſtruere, alia attenuare, alia incraſſare, & ſic de cæteris.

12. Præterea ſyſtemati Materiæ Medicæ ex memoria prompte exponendo par eſſe debet, qui opus hoc ſuſciperet, ne libris mutilus neſciat quo ſe vertat; Firma (inquit *Hippocrates lib. 2. De decenti ornatu text.* 8.) memoria teneto Medicamenta, & ſimplices facultates & deſcriptas; Aſt quotuſquiſque obſecro, Medicaſtrorum penſo huic laborem impendit? Multi equidem ſudoris eſt. Ut tandem effectum a mero conſequente, & ut cauſam a mero antecedente certo diſtinguere liceat, faxit ſummi ſapientia Patris.

13. Novi quendam cum accerſeretur ad ægrum Hepatitide laborantem, ut ſibi ſoli lucrum & honorem aucuparetur, Unguent. pomat. re-

probaſſe quod in compoſito ab alio prius ad conſilium vocato ſuadebatur, quoniam, aiebat, quodcunque compoſitum quod ingreditur cera huic negotio congruum non eſt; Cum tamen cera Medicamenti hujus pars nulla ſit; Aſt ille Ung. Refrigerans Galeni ſubſtituerat, quod ſine cera fieri nequit: Titanicum tamen præ ſe fert hic aſpectum,& altum ſapit.

14. Et fines non raro furtim invadunt alienos, ubi intra dieculæ ſpatium plus infertur damni, quam intra menſem lucratum fuit; Unus remus plus retinet, quam ſex impellunt; ſic Medicus Medicaſtri luit pænas.

15. Medicus qui Medicum, cui tradita fuit provincia, exturbat, maculæ ſuis & dedecori eſt, furacem enim olet avaritiam: Cujuſmodi artes Medico perito, probo & prudenti odio habitæ veteri diverbio mendicus mendico invidet, Literula ablata,

ablata, anſam dant: Hujus indolis ſunt male Fabri qui muliercularum conſiliis nequiter indulgent, & qui ad gratiam conſulentes adulantur ut plus accipiant, in opprobrium ſuum ægrique ruinam: A quibus non multum abludunt qui coram ægro & adſtantibus Pharmacopœos de re gerenda inepte conſulunt; quod interim ex affectato candore patrant.

16. Nec Religio eſt illis cujuſvis morbi curam in ſe ſuſcipere; Levia ingenia quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt: Sed valetudine ingraveſcente, tum tandem ad conſilium (Medicaſtro ipſo ſuaſore) vocatur Medicus; Poſt bellum auxilium: Quod etiam ex oſtentatione & avaritia audacter perpetrant Chirurgi quidam, & Pharmacopœi, e medicorum receptis, qui ipſis emptorum frequentiam conciliant, furtum facientes, quas etiam ſcienter adaptare nequeunt: En oſtentationi & avaritiæ

tiæ impietatem animique ingrati turpitudinem adſtantes! Sed ut propius accedam.

17. Ægro vigiliis diuturnis inquietato largam Narcotici doſin ſecundum Morbi proportionem diſtribuunt; Cum contrarium fieri oporteat; minuenda potius eſt doſis quo diuturniores ſunt Vigiliæ; alias proclivitas ad ſomnum ex defatigatione a vigiliis, & ſomnus a ſomnifico dextræ dextram jungentes ægrum non in diverſum aſt in contrarium curvant: itaque actum eſt de illo.

18. Nec obſervant Medicamentorum diverſitatem, præſertim in chronicis parandam eſſe, ne ægrum abſterreat primorum faſtidium, & ne natura (ſit verbo venia brevitati duntaxat inſervienti) eidem Medicamini aſſueſcens non auſcultet: ceſſat enim poſt diutinum Medicamenti uſum conflictus Medicamentum inter & ſanguinem: Prout hac de re ſcite ſuo more ratiocinatur

tur eximius ille Philoſophus. *D. Theod. Craanen*, Æther aiebat Medicamenti poſt diutinum ejuſdem uſum, tunc valde ſimilis fit ætheri in noſtro ſanguine exiſtenti; ideo ſatius eſt Medicamentum aliud earundem virium adhiberi, ut ex diverſitate materiæ æthereæ diverſa excitetur pugna: Cui etiam ſuffragatur *Nobiliſſ. Verulam. Sylv. Sylv. Cent.* 1. *Exper.* 67. Medicamenti (inquit) & alimenti mutatio conducit, quia naturæ ſatietatem continuatio illa parit, ut appetitus & operatio illa obtundatur, ſic videmus res noxias conſuetudine evadere innoxias, ut Venenum, cui conſuetudine parem nonnulli Stomachum habent exuſu; quare haud mirum ſi ſalutaria quædam conſuetudine deperdant vim auxiliatricem: eadem autem mihi intermiſſio cum mutatione eſt, cum intermiſſa poſtmodum evadant nova; & qui Materia Medica eaque ampla ornatus non eſt, Medicaminum

ñum varietatem morbi varietati accommodare nequit.

19. Sæpiſſime enim morbum auxiliarem & evacuationem ſalutiferam in ægrotantis vitæ jacturam ſiſtunt, Hœmorrhagiam puta narium in Cephalalgia, diarrhæam in febri &c. Morbo auxiliari abdicato, abdicatur & ſanitas: Ex ſcabie retropulſa vel perperam ablata ſæviores ſuperveniunt morbi, utpote ſanguinis Sputum, Apoplexia, Hydrops, Febres Diuturnæ, &c. Hydropem narrat Hippocrates ex ablata ſcabie; Erat, ait, homo quidam Athenis fœdiſſima ſcabie laborans, atque ut ſanaretur acceſſit Milos, ubi calidæ ſunt Thermæ, quarum uſu convaluit a ſcabie, ſed paulo poſt incidit in Hydropem & exinde mortuus eſt: Nec raro ſequitur febris, cæcitaſque, teſte *Sennerto prax.* 3. § 2. *cap.* 44. Puer (inquit) ſcabie linimentis retropulſa in cæcitatem & febrim incidit, qui accedente Epilepſia ſupremum obiit Diem.

20. Nec

20. Nec brevitati ſtudent, *e. g.* morbo & Catharſin & Phlebotomiam exigente, Phlebotomia cæteris paribus præmittenda eſt, utpote quam ſpontanea nonnunquam ſequitur Catharſis, quæ etiam multo tolerabilior eſt quam Medicamine comparata; cui Cautioni animum nuſquam advertunt.

21. Et ubique poſt Venæſectionem vigilias ſuadent, cum tamen ſomnus non raro magno foret uſui, ut in *Mania Hypercatharſi*, &c.

22. Non raro etiam Phlebotomiam ſub præclaræ ſcientiæ nomine & umbra intra Veris & Autumni cancellos coercent, ex præcepto forte perperam accepto; quod ſi uſpiam præcautione tenus locum obtinet: Neceſſitas nulli paret tempori.

23. Nonnullis etiam ſufficit unicum Cathartici exemplum ad quemvis morbum & cunctis temperamentis adhibendum: eodem nempe collyrio medentur omnibus; quod admo-

admodum vitioſum eſt, dato & elective purgantia non exiſtere: Rhabarbarum *ſciz.* Univerſale ſit Catharticum, haud tamen eo minus potenter bilem educit quam Jalappa & excors eſt qui incertum certo anteponit. Etenim dari elective purgantia veriſimillimum eſt, quod hunc in modum illuſtrarem; Ubi varia eſt facies ibi varia eſt partium ſtructura, ubi varia eſt partium ſtructura, ibi varius eſt operandi modus, ergo cum purgantium varia ſit facies, purgantium *varias* eſt operandi modus: exempło ut utar, Serra, cujus acies eſt dentata, lignum perfindit, quod & operatur Aſcia, cui eſt Acies aſpectu inarmato lævis, aſt modo plane diſſimili, prior ligni perfiſſi faciem reddit ſcabram, poſterior autem lævem: Addito quod conceſſum cum ſit ſpecifica dari alterantia, quod liquido oſtendunt Mercurius, Cantharides, Cortex Peruvianus *&c.* Quidni & dari ſpeci-

fice

ſice purgantia cenſendum: Qua de re *D. Broen Craanenius alter in Animadverſ. in H. Reg. Prax. Medicat. 7.* Non omne purgans, nec omne ſudoriferum eſt diverſis affectionibus æque utile: Ita *ſol. ſen.* etſi copioſe aſſumantur, & etſi copioſe evacuent, non tamen tantum præſtant quantum *Troch. Alhand.* & alia potentiora purgantia, licet parva doſi aſſumpta & parum evacuent, nam Sena fæces ex inteſtinis ſolis deturbat: Sed inſuper potior, ſeu in rebus dubiis cautior pars eſt tenenda, unde nihil Catholicon, ſeu cuncta exiſtere ſpecifica tutius concluditur.

23. Fugit & hos Analogiſmus, quem deprehendere medendo cum primis proficuum eſt.

24. Ad Menſium obſtructionem, Sanguinem e brachio mittere ſuadent Autores, quod cum intempeſtive fiat, nimirum inſtante eo tempore quo ægra evacuationem men-

ſtruam pati ſolebat, damno erit; octiduum circiter ante id temporis inſtituenda eſt hic Venæſectio & dehinc ſtatim incidendus & attenuandus eſt ſanguis, cæteroquin obſtructio antiquum obtinebit.

25. Sic in Lumbricos ſuadentur Cathartica, & Specifica & Allicientia, & quidem rectiſſime, neutiquam tamen hic eſt ordo obſervandus nec ſimul uſurpanda veniunt, cæteroquin cuncta fruſtranea fient: Si enim Cathartica imprimis adhibeantur, Lumbrici iiſdem niſi debiles non cedunt, & ſpecificis ſemineces facti allicientibus reviviſcunt, quomodo Medicina optima in futilem evadit, & labor hic ſtudio vaneſcit inani: Philoſophia ſeu recta ratio dictitat Lumbricos imprimis per ſpecifica ſin enecandos, ſaltem debilitandos, debilitatos dein per clyſma alliciens, ex lacte *viz.* dulci, ad infera ineſcandos, & ineſcatos per torrentem a Cathartico tandem exterminandos.

Quem

Quem ordinem prætermittunt hi qui medendi methodum Theoreticam non callent, unde nihil agentes extra ſcopum jaculantur, vanaque erunt prædicta remedia. Ad hæc modo cuncta ſimul exhibeantur, damnum Lumbricis per Catharticum & Specificum illatum per Allicicns reſarcitur, & ſic *Penelopes* tela texitur. Filum igitur medicinale ducem ſequi oportet: Quod etiam rite pro ſui ſeculi vocabulis enarrat *Nobiliſſ. Verulam. Sylv. Sylv. Cent.* I. *Exper.* 60. Haud pauca (inquit) Medicamina magis lædunt quam medentur, niſi Filo Medicinali ſive ex ordine adhibeantur, quæ tum mira præſtant. Ipſe ego remedium ad Arthritidem expertus ſum, quod raro deficiens hoſtem intra dieculæ ſpatium fugavit: Sic habeto, imprimis applicandum Cataplaſma ſequens. *R. Mic. pan. ſilig. tenuiter inciſ. unc. tres, Coq. in lact. q. ſ. ad pulpam, dein. add. Pulv. Roſ. rubr. drach.*

unam

unam ſemis. Croc. gr. x. Ol. Roſ. unc. unam. Extend. ſuper pannum lineum tepide adhibend. & ibidem triborio morand. Deinde Fotum ſeq. R. fol. Sal. manip. ſem. Rad. Cicut. inciſ. drachm. ſex. rad. Bryon. unc. ſem. fol. roſ. rubr. Pug. duos. Coq. in aq. chalybeat Cong. ſem. ad dimid. Colat. add. Sal. nigr. manip. ſem. F. Fotus cum coccineo panno vel lana calido liquori immerſa, & intra quartam horæ partem, vel pluſculum ſepties repetend. Tum tandem Emplaſt. ſeq. R. Emplaſt. Diacalcit. q. ſ. ad partem affectam. diſſolv. in ol. Roſ. q. ſ. ut adhæreat, extend. ſuper linteum vulgo Holland, & applic. Cataplaſma nempe poros dilatat materiamque peccantem ad perſpirandum accingit, Fotus materiam perſpiraturam evocat, attamen cum reſpectu ad viam cataplaſmate paratam leniter attrahit, quo nomine materiam peccantem extrahit, neque plus materiæ hujuſmodi eo attrahit, Fotus enim eſt lenis, & præterea Narcotici

paux

pauxillulum comprehendit. Emplaſtrum benigniter adſtringens materiam recentem ab affluendo reprimit. Cataplaſma ſine aſſeclis partem emolliendo & debilitando, ut materiæ affluxum impreſſionemque admittat, proniorem redderet. Fotus abſque anteambulone ſcilicet debilior, via non Cataplaſmate parata minus extraheret; ſi vero validior, ad partem ſimulac ex parte materiam duceret. Emplaſtrum viatoribus non præmiſſis materiam loco contentam includendo, tam irritaret quam materiam recentem cohiberet. Ergo (ut dictum) Filum medicinale ducem ſequi oportet. Cataplaſmati imprimis bi—vel trihorio immorandum: Tum Fotus quarta horæ parte vel diutiuſcule ſepties vel octies tepide repetendus: Emplaſtrum denique ante partem affectam bene munitam illinc nequaquam movendum. Hæc ita vertiſſe liceat.

26. Me-

26. Medicaminis efficaciam externæ ejuſdem formulæ deberi inſulſi opinantur; ſimplicium enim ex quibus compoſitum fit indoles in deliberationem non cadit. *e. g.* Emulſio ſemper Hypnotica habetur, cum tamen plurimæ emulſiones naturæ admodum diſſimilis, immo Catharticæ dentur, & iunumeræ dari poſſint.

27. De pilulis idem eſto judicium, quæ ſemper Catharticæ inter hos æſtimantur, quarum tamen adſtringentium numerus infinitus eſt.

28. Similiter de Suffumigatione diſceptant: Suffumigationem (inquit Empiricus) felici ſucceſſu ad menſium fluxum uſurpavi, ergo Menſium ſuppreſſioni non convenit: Ubi mirum in modum delirant, non enim dependet Medicaminis efficacia a formula, verum ab indole ſimplicium ſormulam componentium; quæ hic aperiens, illic adſtringens præſcribi poteſt.

29. Tri-

29. Triplicia exiſtunt Diuretica, quorum alia vaſa urinalia vaſorumque poros aperiunt, alia ſerum a ſanguine præcipitant, alia denique materiam ſanguini aquoſam ſuppeditant, quæ promiſcue uſurpata citius quam melius penſum abſolvunt; Hydropicis nempe ſuppetias ferunt Diuretica, haud vero poſtremi generis præproperam mortem actutum accerſura; creſcit indulgens ſibi dirus Hydrops; nec Medii, hoc enim eſt actum agere; aſt primi, ita vero obſtaculo ſubmoto errans in viam reducitur: Hinc practico Diureticorum varietatem hanc ſcitu perneceſſariam eſſe liquet.

30. Pari etiam ratione dividenda ſunt Cathartica & Diaphoretica in alia quæ materiam præcipitant, & alia quæ materiæ vaſa poroſque ſuos aperiendo exitum præbent, quam Meditationem tutam utpote nec vero diſſimilem, ut ad umbilicum deducant eruditiores obſecro.

31. Et

31. Et æquam Medicaminis quantitatem tranſgreditur Empiricus, mulieri & præ intemperie, & præ morbo acuto debili, *Vin. Bened. Ruland. unc. unam. ſem.* propinans, qua quantitate ab alio prohibita, peſſime ſe habuit, ægra ab aſſumpta modo dimidia.

32. Variæ denique ſunt technæ quibus Medicaſtri ſe apud vulgus promovere annituntur; quidam alterius nominis ruinæ gloriam ſuam lucrumque ſuperſtruunt : Nonnulli ſuperbo corporis habitu artem oſtentant ſuam, de quibus olim Caſſius pallium & barbam video, at Medicum non video, cui ſi ſpecioſam veſtem, ſi cultum, ornatum, & annulum detrahas, idem quod Cumano Leoni accidet, qui pelle ſua nudatus apparuit aſinus : Alii ſi peregrinati ſint, & temporis reliquum caſtaneis torrendis collatum ſit, repudiatis rite medendi præceptis, receptarum aliquot decadibus contenti,

tenti, voti ſui ſummam conſequuntur; hi Philoſophiæ & Medicinæ inſtitutionibus vel nihil prorſus, vel non ſatis imbuti, morborum quos nec cognoſcunt (inquit *Bayer*) nec cognoſcere ſtudent, curam in ſe recipiunt, & ſanitatem plenis buccis pollicentur: Parturiunt montes, naſcitur ridiculus mus. Alii ſi Doctoris gradum ſuſceperint, de quo unico (poſthabitis potioribus) vehementer prædicant caudices, non ſecus ac ſi Diploma peritiam conferret; Quod quidem honorificum, Majorumque placitis, & Principum ſtatutis conſentaneum eſt; hic tamen non raro plus in titulo quam in pyxide, dum de Sparta quam nacti ſunt ornanda ſecure ceſſatur; Aſinus ſtramenta mavult quam aurum: Et tum plerumque nomen ſuum in Religioſorum ſecta quadam dominatrice profitentur, ut deinceps cum conſectaneis Medicinam actitent, qui miſere neſcientes Religionem unicam ve-

ramque in præceptorum obſervatione ab amore oriunda conſtare: *Joh. cap.* 14. *v.* 15. *Si diligitis me, mandata me ſervate, Rom. cap.* 13. *v.* 10. *Plenitudo legis eſt dilectio*; cæterumque Religionis omne non huc tanquam ad metam enixum fucum eſſe ac fallacias & præterea nihil, Contraverſiarum nodis, ſeu Theorematis Theologicis indormiunt, unicum neceſſarium teruncii facientes; Aſt non eſt e terris mollis ad aſtra via; inter factorum rationes reddendas pertriſtes hos fruſtrabitur ſpecula hæc: Ah quanta ſpe decident! Sed utcunque aderunt res, quum religiones id genus molles leveſque, levique negotio imitabiles ſint, hypocriſi ignorantiam relevant Medicaſtri, partibus ditioribus atque potentioribus ſe ſocios aſciſcentes. Eheu miſeros! turpe eſt lucrum: nimio emitur quæſtus hic: Medici fama quidem & nomine multi, re autem & opere valde pauci, *Hippocrat. in Lege.*

33. Ex

33. Ex quibus manifeſto liquet quam audaces & temerarii ſint Medicaſtri, qui Medicinam Theoreticam non callentes ægrotantium curam aggrediuntur, quamque male cautum cæcumque ſit hiſce ſinciput, qui male ſanis cæciſq; Medicaſtris ſuam non modo ſanitatem, ſed & vitam, qua nihil terrenum carius, ita inconſulto concredunt. Sed ut ad metam appropinquem, audiatur *Cornel. Bontekoe in Provocatione &c.* Probe (inquit) judicaturus, quænam medendi methodus vera ſive falſa ſit, experientiam primum circumſpicito, ſymptoma a ſymptomate internoſcito, circumſtantias earumque magis principales ponderato ; corporis notitiam habeto, crculationem ſanguinis cum conſequentiis ejuſdem intelligito, veras remediorum operationes in ſanguine, ſuccis atque partibus ſolidis examinato, ad unum omnes reducito ; ſuper omnia vero adeptus ſis judicii tui ſanitatem,

tem, Quæ nonniſi gravioribus ſtudiis veræ ſapientiæ præjudicia puerilia deponentis, intellectumque illuſtrantis acquirere licet. Atque cunctis hiſce confectis, haud difficile tibi erit ſecundum veritatem, judicium dextrum, juſtamque pronunciare ſententiam.

Theo-

Theoremata Therapeutica.

1. *VEnienti occurrite morbo.*

2. *Omne malum naſcens facile opprimitur.*

3. *Prudens in flammam ne manum injicito.*

4. *Tum tua res agitur paries cum proximus ardet.*

5. *Abſtinentia multi curantur morbi.*

6. *Sine Cerere & Libero friget Venus.*

7. *Vias in corpore liberos eſſe decet.*

8. *Somnus meridianus quibuſdam prodeſt.*

9. *Morbus unus alterius auxiliatrix.*

10. *Symptomata ſecundaria regulantur a primariis.*

11. *Quo robuſtior eſt pulſus, eo venæſectionem magis admittit.*

12. *Dnl-*

12. *Dulcia, Vinum, Acida, infantibus nociva.*

13. *Refrigerare, & Bibere a motu vehementiore nocet.*

14. *Ignis Aeris purgatorium.*

15. *Loca paludosa Scorbutum gignunt.*

16. *Panis ciborum basis.*

17. *Leguminosa præsertim non excorticata flatulenta sunt.*

18. *Oleracea omnia laxant.*

19. *Lupulus continet sulphur amicum nobis & blandum.*

20. *Petroselinum ciborum condimentum innocuum.*

21. *Cruda minus salubria, cocta magis.*

22. *Acini astringunt cuncti.*

23. *Cito rancescunt oleosa.*

24. *Sylvestria salubriora.*

25. *Exotica Indigenis postponenda.*

26. *Olea expressa lubricant.*

27. *Dulcia fermentescunt facile, & potius palato, quam ventriculo, & cordi grata.*

28. *Sanis*

28. *Sanis plurima ſana.*

29. *Caſeus ferculum* εὐπόριστον.

30. *Carnes non ſolum aſſæ ſed & coctæ firmum præbent Alimentum.*

31. *Gelatinæ Hecticorum alimentum.*

32. *Turdus & Alauda Nephriticorum ſolamen.*

33. *Piſces ſaxatiles puris & arenoſis aquis victitantes ſalubriores.*

34. *Piſces recentes præſtant; ſaliti infumati, & exſiccati exulent.*

35. *Tinca Arquati magnes.*

36. *Piſces viſcoſiori vel duriori gaudentes carne minus ſalubres.*

37. *Si Menſis habet R, noli comedere Cancer.*

38. *Aqua nutriendi facultate pollet.*

39. *Corruptio optimi peſſima: Optimi vini optimum acetum.*

40. *Somnus occultum Vitæ pabulum.*

41. *Ut circumſtantiæ, variant jus ita & remedia.*

42. *Nihil ſine Legibus, nihil ſine indicationibus.*

43. *A juvantibus & nocentibus potissima fit Indicatio.*

44. *Quicquid agis prudenter agas, & prospice finem.*

45. *Utut pulsum varient res mille, tangenda tamen est Arteria.*

46. *Somnus Meridianus non omnibus nocet, multis prodest.*

47. *Pueris meridiari convenit.*

48. *Somnis infantum alimentum.*

49. *Frigidis ira remedio est.*

50. *Menses pellentia fœtum pellunt.*

51. *Aromatica & Spirituosa fœtus & gravidarum refectiva.*

52. *Dulcia gravidis amica.*

53. *Venus moderata gravidis non nocet.*

54. *Optimum sæpe remedium remedium negligere.*

55. *Minima non curat Prætor, nec Medicus.*

56. *Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora.*

57. *Quod una vice præstari nequit pluribus tentato.*

58. Na-

58. *Natura in opere ſuo non turbanda, hinc Fiente Criſi nil temere movendum.*

59. *Antimoniata Vomitoria in ſubſtantia non exhibenda.*

60. *Nec majori nec minori doſi danda.*

61. *Principiis obſtandum.*

62. *Omnis intemperies indicat Alterantia.*

63. *Luſum non patitur Fama, Fides, Oculus.*

64. *Ferulæ fracturis maxime conveniunt.*

65. *Atretæ ſola ſectione matura liberantur.*

66. *Ex duobus malis minus eligendum.*

67. *Vulnera & ulcera ab aere defendenda.*

68. *Quibus vena ſecatur, ſi facile deliquium patiantur, decumbant, nec fiat vacuo ventriculo.*

69. *Ut juves, parti primario affectæ remedium applicato.*

70. *Qui vinum bibunt Phlebotomiam facilius ferunt.*

71. *Omnia purgantia calida.*

72. *Non expectandum eſt ob officina quod peti poteſt a Culina.*

73. *Moſchata in fœminis locum non habent niſi dentur cum Caſtoreo.*

74. *Corpora impura quo magis nutriveris eo magis læſeris.*

75. *Conſueta etſi deteriora inſuetis minus noxia eſſe ſolent.*

76. *Qui facile animo linquuntur ne diu jejuni maneant.*

77. *Aeris flatus a Leipothymia liberat.*

78. *Opiata Fluxionum, Vigiliarum Dolorumque remedia.*

79. *Semper ad uterum attende.*

80. *In Lipothymiis parum & frequenter propinentur remedia.*

81. *Trepanum in ſuturis non adhibendum.*

82. *Ad Syntheſin opus eſt extenſione, matura repoſitione, conformatione, & deligatione.*

83. *Ossa ferruminantur mediante callo.*

84. *Gibbus curari potest reductione prominentiæ priusquam occalluerit.*

85. *Frænum linguæ caute secandum.*

86. *Aquam omnem vel pus simul & semel noli profundere.*

87. *Chirurgus Misericors, Ulcus Sordidum.*

88. *Odorifera qua talia calida sunt.*

89. *Balsamica, Resinosa, Oleosa, Aromatica calida.*

90. *Acria, Salsa, Amara calida.*

91. *Quæ emolliunt materiæ dispositione suppurationem etiam promovent.*

62. *Suppurantia ante apertionem, digestiva post apertionem.*

93. *Incrassantia cum attenuantibus neutiquam confundenda.*

94. *Cephalica cuncta Arthritica.*

95. *Antimoniata Emetica optima.*

96. *Theriaca sine Opio sudorem non movet.*

97. *Oleosa & amara quævis Lumbricis inimica.*

98. *Mer-*

98. *Mercurius Vermium Mors.*

99. *Cathartica cuncta Antihelmintica.*

100. *Dulcia potius fallunt quam necant Vermes.*

101. *Ut Emetica & Cathartica, sic Sudorifera, & Diuretica gradibus solummodo differunt.*

102. *Diuretica pleraq; Emmenagoga.*

103. *Emmenagoga adhibenda sunt tempore naturæ motui conveniente.*

104. *Lac & semen extinguentia eadem.*

105. *Quæ non prosunt singula multa juvant.*

106. *Infra summam dosin semper consiste.*

107. *Resinosa addito oleoso facilius pulverisantur.*

108. *Aqua, Spiritus, Oleum sæpe confunduntur.*

109. *Aquæ purgantes proprie non dantur, nec adstringentes.*

110. *Calces Alcalinæ naturæ.*

111. *Cataplasmata partibus unitate læsis minus conveniunt.*

112. *Alcalia corrosiva ab Aere defendenda.*

113. *Clyster tepide injiciendus.*

114. *Saccharum Pharmacopœorum Sal.*

115. *Acida Dentibus inimica.*

116. *Radix Gentianæ præcipuum meatuum dilatatorium.*

117. *Omne Ano suppositum stimulat.*

118. *Detur aliquid palato, palato tamen noli indulgere.*

119. *Quæ solvunt præcipitant.*

120. *Præparata Magisteriis sæpe meliora.*

121, *Vegetabilia Sapida, & Amara plus salis fundunt.*

122. *Ut in Tonicis, ita & in Topicis gratia est observanda.*

123. *Tuto, cito, ac jucunde.*

124. *Non est in Medico semper relevetur ut æger.*

125. *Gratia ab officio quod mora tardat abest.*

Μόνῳ τῷ Θεῷ Δόξα.

FINIS.

Errata sic Emendanda.

IN Dedicatoria *l.* Nobilissimo. *pag.* 10. *lin.* ult. *l.* mixtam. *pag.* 12. *lin.* 1. pro fortuna, *l.* fortefortuna. *pag.* 41. *lin.* 14. *l.* gravior. *pag.* 63. *lin.* ult. *l.* exterminandos: *pag.* 72. *lin.* 19. *l.* circulationem.